201

14

MARTHAE
VVOLFIAE
OMN. MATRONAL.

Virtutum ornamentis ſpectatiſs. Feminæ,

Conjugis incomparab.

fati heu lege
Ad D. XXIII. Jul. A. MDCIII.
præter ſpem ac vot. ſibi ereptæ

MEMORIAM

Hiſce
Amicorum, Virorum
præſtant. Epicediis

DAVID ALBERTUS
Civis & Bibliopola
Vratislav.

ſingularis meriti ergó
publicé proſe-
qvitur,

editis

LIGNICII á Nicolao Sartorio.

462818 I
Sz-2002/898/24
Biblioteka Śląska
[300,-]
ST 1751
10.10.2002

QVid nasci ergó juvat! Certé melius foret unqvam
Non nasci: aut etiam non superesse diu.
Ast hic est Jovæ sacer ordo cunctipotentis,
Ut nunc nascatur, nunc moriatur homo.
Ille Deus statuit nostrorum fata dierum,
Et vitæ nostræ tempora qvæq; notat.
Nascimur & morimur, Fatum moderante Iehova:
Nempe Dei nutu stat, cadit omnis homo.

PETRUS HAUNOLD
Patricius Vratisl.

Defuncta Marita fungentem adhuc maritum,
læta mœstum alloqvitur.

LUctus utriq; fuit, prius ac tibi jungerer uxor,
Causa eadem luctus, non eadémq; fuit.
Gaudium utriq; fuit, cum jam tibi jungerer uxor,
Causa eadem gaudI, non eadémq; fuit.
Desieramus enim subitó esse, modó qvod eramus
Tum facti, id luctus causa utriusq; fuit.
Rursus eram per te, per me tu, desieramus
Esse qvod, hæc gaudI causa utriusq; fuit.
Sed neq; tu, qvod ego: nec ego, qvod tu, fui eramq;, hinc
Nec luctus, nec idem gaudium utriq; fuit.
Ecce parens fio per te, per méq; parens tu,
Inde mihi, inde tibi qvæ nova gaudia erant?
Ex me, heu, quæ fuerant tibi gaudia nata, repente
Ex me qvám tristem in luctum abiêre tibi?
Ecce parens, qvæ, te feci, vix facta, parentem, heu
Desino ego esse parens, qvis dolor inde tibi est?
Desino, ut haud fieri qvod eram, cupiámve, qveámve:
Tu fieri at fatis, qvod sum ego facta, voles.

Esto

Esto parens, felixq́, diuq́, tibi: soboliq́,
Inq́ mea sobole hac me usq́ superstitem habe.

M. JOHANNES ab HOECKELSHOVEN.

OMnia debentur rapidæ mortalia morti,
Ambit quæ terræ proxima Luna globo.
Nec modó fortunæ innumeris obnoxia telis,
Omnibus omnia sunt fluxa caduca locis:
Nos etiam, quotquot vitali vescimur aurâ,
Indomitæ morti debita præda sumus.
Omnibus est calcanda semel nam semita lethi,
Unica nos omnes nox sine luce manet.
Occiduo vix ulla dies cum Sole recedit,
Quæ non mœstitiæ causa sit, atra, novæ.
Jam vir, jam mulier, nullo discrimine sexus,
In cineres abeunt, conditione pari.
Disparis ætatis, juvenum, discrimine nullo,
Jam deducuntur funera, jamq́ senum.
Nunc ignobilium, generis discrimine nullo,
Nunc & nobilium membra teguntur humo.
Testis erit præsens gravis en lux conscia luctus,
Conscia lux obitus, WOLPHIA MARTHA, tui.
ALBERTO fueras, thalami, quæ, sorte secundâ,
DAVIDI, certo fœdere, juncta viro.
Non ita quæ pridem Lucinæ functa labore,
Nec tamen hoc fueras fracta labore gravi.
Jamq́ virum faciens optatâ prole parentem,
Non infelici sidere mater eras.
Hinc nova surgebant Patris, nova gaudia Matris
Pectore, spes generis non peritura patet.
Hei mihi, quám subitó miscentur tristia lætis,
Et spes quám subitó re sine, cassa cadit? Occidit

Occidit ALBERTI *conjux florentibus annis,*
Et miseram properâ morte reliqvit humum.
Liqvit & in viduâ mœrentem sorte maritum,
In cunis sobolem liqvit & illa suam.
Qvis velit humanæ nimiúm confidere sorti ?
Hei nihil humanis fidere rebus erit.
MARTHA jacet nullius egens virtutis & artis,
Fœmineum poterit quæ decorare genus?
Illi nomen erat cum re : nam exercita curis
Terrenum variis MARTHA terebat iter.
Prima DEI fuerat semperq́ ea maxima cura,
Quem sibi clementem noverat esse patrem.
Illius in blandâ laudem pleno ore sonabat,
Ejus in adversâ sorte petebat opem.
Altera deînde viri semperq́ ea proxima cura;
Quem sibi sidereâ credidit arce datum.
Ejus ad arbitrium sese & componere vultum
Nôrat, eumq́ oculis ferre subinde suis.
Tertia cura domus, sobolis sed maximé in illâ :
Pignus amor sobolem conjugialis habet.
Cunctis grata, gravis nulli, fidissima charæ
Mater erat sobolis, mater eratq́ domus.
Cura triplex hæc solicito sub pectore MARTHÆ,
Donec in hac ipsi vivere luce datum est.
Sic tamen, ut curas animi devolveret omnes
In superum, qui nos curat ubiq́, Patrem.
Qvid ? quod ad extremum vitæ cúm tenderet actum,
Solicito sub ei pectore cura stetit.
Cura DEI, túm cura viri, sobolisqve domusq́,
Tunc qvoq́ deficiens cúm moreretur, erat.
Ah ægris quoties oculis respexit utrinqué, (*mum.*
Inde DEUM, inde virum, atq́ hinc sobolem, hincque do-

Intima

Intima deducens suspiria corde, suosq́.
Cum lacrymis querulo visa vocare sono.
Cura Viri tantlem, sobolisque, domusq́ recessit:
Sola pio mansit pectore cura DEI.
Qui fuerat vivæ curarum dulce levamen,
Jam moribundæ etiam mite levamen erat.
Ille pios manes manibus suscepit amicis,
Composuitque levi molliter ossa solo.
Ille, priús quæ curarum sub mole gemebant,
Jam fecit curis libera corda, DEUS.
Amplius haud MARTHÆ *sunt hæc terrestria curæ,*
Quæ variis variat sors inopina modis.
Si mundi totius opes acquirere posset,
Arce poli nollet jam revocare gradum.
Sunt & erunt MARTHÆ *tantúm cœlestia curæ,*
Sanguine quæ CHRISTI *parta perennia sunt:*
Quæ nunquam Satanæ trucis aut violentia mortis
Electo poterit deripuisse gregi.
Quid juvat ergó nimis vano indulgere dolori
Conjugis ob mortem, Chare marite, tuæ?
Durum equidem fateor: viduatum conjuge charâ
In viduo viduum te recubare toro.
Sit licet hoc durum, levius Patientia reddit,
Mutari nullâ quod ratione potest.
Viva DEI *semper fuerat suavissima conjux,*
Mortua jam quoq́ non desinit esse DEI.
Illi vos placitum fuit ut conjungere quondam,
Qui casto sponsos unit amore novos:
Illi vos placitum sic est disjungere rursum,
Omnia qui vitæ jura necisq́ tenet.
Quanquam non solvit mors omnia, solvere junctos
Mutuo amore animos, pectora fida, nequit.

Nam

Nam licet ex oculis tibi rapta sit uxor, imago
Ex animo tamen haud excidet ipsa tuo.
Non ea mortales posthac remeabit in oras,
Non urbs hæc tanti, totáq; terra foret.
Spes tamen est reditus: quia tu, venturus ad illam,
Invenies quam nunc perditam abesse putas.
Tempus erit, quando, mors quos disjunxit amantes,
Conjunget summi dextera magna DEI.
Intereá ingentis luctus solatia parva hæc,
In trepido, faciat pectore, viva DEUS:
Quem precor, (is quoniam series est longa dierum,
Vitáque, quæ mortis sola timore vacat)
Ut porró, geminâ cum prole domóque, parentem
Sospitem & incolumem te velit esse diu:
Quó studio res promta tuo libraria cunctis
Sit, quoscunque juvat Musica castra sequi.

DAVID RHENISCHIUS
Vratislaviensis.

Parodia ad Od. IX. lib. III. Horat.

Dialogus Defunctæ & Mariti superstitis.

D. Donec juncta fui Tibi,
Nec pactum referans funera gaudio
Consorti Lachesis dabat,
Abrami vigui Conjuge fidior.

M. Donec non aliud magis
Optabas, neq; erat me sine cedere,
Multi Vir recreaminis
Electo vigui lætior Isaco.

Me

D. Me nunc aula Dei tenet
Sanctis plena jocis, lætitiæ & potens,
Præ qvâ non placitum, tuis
Posthac legitimis perfrui amoribus.

M. Me pungit face torridâ
Incorrupta tui gratia pectoris,
Præ qvâ non licitum, tuum
Discessum lacrumis absq; tuerier.

D. Qvid? si prisca redit fides,
Sejunctosqve polo jungit Olympico?
Si qvæqve exsuitur lues,
Ereptæqve patet gloria Conjugis?

M. Qvamqvam vivere dignior
Tu mecum, & domui commodior meæ,
Do, qvod Fata volunt pia:
Cœlo dulcis ova; sum tuus, es mea.

M. Caspar Conradus P. L.

Ad *Davidem Albertum*
virum ornatiss.

Tam pia, tam proba, tam tibi fida & amabilis uxor
Occidit; & qvis te jure dolere neget?
Jure doles, hei jure doles. Sed jure vicissim
Et nosse & placidé hanc ferre memento vicem.
Est Deus, haud dubita, Deus est, qvi fata gubernat:
Illius arbitrio obsistere velle, nefas.
Et Deus est, flagrante suos qvi curat amore;
Hinc tibi solati maxima porta patet.
Fide Deo, submitte Deo te, Alberte, tuósqve:
Ille tibi imposuit, ille levabit onus.

M. Sim. Grunæus.

Biblioteka Śląska